

Sermo dimissorius ad  
virum-juvenem,  
comptissimorum morum,  
humanissimarumq[ue...]

Colliander, Johannes Erlandi

*1 Ic 1674 Alanus, Nils Göransson*



National Library  
of Sweden

810.  
2



# SERMO DIMISSORIUS

Ad

VIRUM - JUVENEM,

*Comptissimorum morum, humanissimarumq; artium cul-  
turâ Politissimum, præ primis verò Legum peritiâ  
eximium,*

## DN. NICOLAUM ALA- NUM ABOENSEM,

ACADEMIÆ ABOENSIS BIBLIOTHECARIUM

*Fidelissimum & Vigilantissimum;*

Cum

Suadente sic fatorum lege, omnibus item, quorum inter-  
est consentientibus, dulcissimum natale solum linqueret, ex-  
terasque Respublicas, veræ gloriæ atque famæ studio-  
sissimus, inviseret;

ABO A HOLMIAM

transmissus,

à

JOHANNE COLLIANDRO Smolando,

*S:æ R:æ M:tis* Stipendiario,

*ANNO Redempti Orbis MDCCLXXIV. 18 Julij.*

ABO Æ,

Excusus à JOHANNE Winter.

2



1674



Vanckel. Horol. Princ.

l. 1. c. 2;

*Peregrinantis optimū  
viaticum Virtus est.*

Senec. Epist. 28.

*Magis quis veneris,  
quàm quò, interest.*

Idem Epist. 42.

*Vir bonus nec citò fieri potest, nec intelligi; hic autem  
Vir bonus est, qui hujus secunda nota est. Nam  
ille alter fortasse tanquam phœnix semel anno  
quingentesimo nascitur: nec est mirum, ex interval-  
lo magna generari. Mediocria in turbam na-  
scentia, sæpè fortuna producit: Eximia verò, ipsa  
raritate commendat.*






Salve, ac bono remigio rem gere,  
Amicorum Amicissime ALANÉ!



Confragosa in fastigium dignitatis  
via est. Non per planum ad sum-  
ma venies, sed per prærupta,  
sed per lubrica. Quæcunque in  
rebus humanis eminere videntur,  
quamvis pusilla sint, per difficiles  
tamen & arduos adeuntur tramites. Neque enim ex  
humili valle in editum collem evolare nos patitur,  
quod circumferimus, corporis nostri grave pondus.  
Avium hæc natura est, quas naturalis levitas ad nubes  
agit inanes. Nostra vero corpora, quemadmodum  
ex terrenâ concreta sunt materiâ; Sic terræ quoq;,  
cui velut fundo ac fulcro innituntur, semper sunt af-  
fixa. Non fit sine magno periculo facinus ingens at-  
que memorabile. Non ex remo sine labore licet ad  
tribunal assurgere. Virtus, & qui hanc comitantur,  
honores, sudore parantur. Nobiles ducit labor ad  
triumphos. Sudor insignes iter ad honores monstrat  
apertum. *Herculis* nomen immortale non fecit oti-  
um, non voluptas. Non est angulus mundi, quò non


A 2

pene-





penetravit fama *Alexandri*. Tantum Virtuti habetur, habendum certè est, pretium. Licet, ad placita Stoicorum, homini, utpote secundas à diis sortito, ex angulo in cœlum subsilire, hoc est, parem se diis facere, deorumque socium. At non auro Te Deo dignum finges, non argento, non ebore: Non potest ex hâc materiâ imago Deo exprimi similis. Non prætexta Te Deo parem faciet: Deus nudus est. Ne fortuna quidem & vires: nihil horum non patitur vetustatem. Animus bonus, & rectus & magnus, est Deus in humano corpore habitans: hic prout à nobis tractatus fuerit, ita & nos ipse tractat. Hunc si, quâ decet, expoliveris curâ, laudator Tuus erit atque defensor; Si neglexeris, & testis, & accusator, & iudex. Scimus multos animum fecisse nobiles, & vel hoc uno adjutos ex quacunque conditione supra fortunam surrexisse. Non producemus ex antiquissimis annalibus exempla, nec ex ultimis aut remotissimis terris: Dives exemplorum ipsa nostra hæc patria est, quâ hoc nomine, absit invidia! vix alia feracior ulla. Hæc, quod scio, Tuum quoque non ad humilia natum perstimularunt animum, *Honorande Frater*, ut non in limine, quod ajunt, aut in portu, dum ad sinceræ prudentiæ ingenuarumque artium mercaturam  
ten-





tendendum Tibi fuit, hæere volueris; In altum meli-  
oris cognitionis Oceanum cogitas Te demittere. Be-  
nè; pium est institutum, mens divina prorsus. Linqvis  
nunc jam, quod Te genuit & hætenus aluit, solum;  
alieni cœli, alieni soli, hospes eris incola. Non in  
quovis iste nascitur animus tugurio. Probo ego hæc  
vota Tua, eademque & ipse ejus, quæ te manebit,  
felicitatis non fallax præco, indemniam interpretor at-  
que innoxia. Hæc ad veram itur gloriam; non per  
secura, non per tuta vestigia, sed per aspera, per sale-  
brofa, per difficilima quæque. Sic redit in circulum  
meus sermo. Dixi non per planum fieri ascensum  
ad summa. Ecce! Ejusdem tenoris & hæc cantilena  
est, quam Tibi jam occino, *Frater integerrime*. Non  
dulcia nunc, sed amara gustabis. Non jam medius i-  
bis inter greges amicorum, rumpitur ista svavis cum  
notis charissimisque conversatio. Eundem scilicet  
est Tibi per ignotas terras & hætenus non visas, per  
infestas latronibus regiones, per infida scopulis sta-  
gna, per maria incertis, & in mutua prælia surgenti-  
bus, turbinibus obnoxia, per sinus veneno damnabi-  
les, per deserta feris referta, per indomita montium  
juga, per serpentiferas petras, per divisa quandoque  
hostium agmina. Audi modò Tibi quod emetien-



dum prædico iter. Ad solidam & mansuram felicitatem per faciliora alia non deducendus es compendia: quin nec crediderim mitiorem aliam Te promississe Tibi sortem. Hoc unum ergò monendus abs me es, *Anime mi*; Neque enim pigebit unquam utilia svadenti paruisse. Ad omnes casus intrepidum Te esse volo. Dico apertè: Non licet huic cervicem subducere jugo, quicquid igitur fieri potest, quasi futurum cogitabis. Sarcinas Tu modò contrahe, viasque commenda Domino Tuas; Spera in eum, & ipse faciet. Agitur plerisque vita per luseum, atque hoc ideò fit, quia in totum nulli velle aut nolle decretum est. Nemo proponit sibi quid velit, nec, si proposuit, perseverat in eo. Tu proindè, *O meum desiderium*, ne in vanum operosa sedulitatis arguare, unam jam, ad quam vivas, regulam prende, & ad hanc omnem Tuam vitam exæqua. Erit autem hoc ipsum Tibi sive Symbolum, sive lex ineundi itineris: *Summà Deum meum venerabor devotione, luctabor cum officio, quod semel cepi: Ipse de eventu & judicabit & dispensabit, ipsi & ego Sententiam de me liberè dabo, interim meliora mibi promittens.* Dixi, quod memini, inhonestam multos decretis suis inducere lituram: Tu contrà semel cupita, semel sancta  
cita



cita nunquam mutabis. Torquebit nunc, scio, se-  
ipsam afflictim alienis incrementis inimicissima in-  
vidia: Tu interea constans eris & quadratus. Ob-  
firmabis animum quasvis ad injurias; ridebis olim,  
mihi crede, spectabisque velut ex longinquo damna-  
tos ad tristem confusionem hostes Tuos omnes.  
Quam læta, quam festiva futura est dies hæc, quã li-  
cebit, si volueris saltim, contumeliæ contumeliam  
facere? Tu modò, *Suavissime mortalium*, adversus  
hujusmodi malignantium insultus Teipsum extollito:  
Calumnias, ignominiosa dicteria, & ceteras sive in-  
jurias, sive miserias insularum loco habeto. Viro,  
quod scisti, flosculos captare, turpe est; linquenda  
pueris sua sunt ludicra: Sic nec Te levissimis his de  
statu Tuo moveri fas fuerit. Ipsa ergo Te Tua vir-  
tus, quæ hætenus animum Tibi Tuum induravit,  
nunc simul & posthac præstabit undiquaque invulne-  
rabilem. Non aliundè vocabis præsidia, quàm ex  
Teipso. Animus ipse Tuus, contemtor & victor,  
debellabit oblatrantem invidiam. Ego Tibi, *O can-  
dida mens*, quam per tot aspera, tot adversa, quæsi-  
tum is, verus vates, spondeo, ac ut promissa rata  
magis sint, serius apprecor gloriam. *Vale Amico-  
rum jucundissime!* & quam nostri amoris testem  
exta-

